



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 3. De Adolescentulis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

„fit? hæc omnia damnat Deus. Si, antequam vo-
 „viffet, nupiffet, non damnaretur: elegit aliquid
 „melius, superavit quod ei licebat, superbit & illi-
 „cita tanta committit. Hoc dico, nubere licet an-
 „tequam voveat, superbire nonquam licet. O tu
 „Virgo Dei nubere noluit quod licet, extollis te
 „quod non licet: melior Virgo humilis quàm ma-
 „ritata humilis, fed melior maritata humilis quàm
 „Virgo superba. Quæ autem respexit ad nuptias,
 „non quia voluit nubere damnatur, fed quia jam
 „ante recesserat, & fit uxor Lot respiciendo retror-
 „fum.

§. III.

De Adolescentulis.

HÆresis fuit Hieracitarum licitas quidem imò
 & proprias fuisse Nuptias Testamento Veteri,
 at à Christi adventu illicitas ac prohibitas cœloque
 exclusas, ideoque, ut eæ in Lege Antiquâ mandatæ
 cùm ex femine Abrahæ semen illud exspectaretur in
 quo benedicendæ forent omnes tribus terræ, sic è
 contrario in Lege Nova imperatam omnibus & sin-
 „gulis continentiam: „Quid enim novi ut faceret,
 „venit Verbum? (apud S. Epiphanium argumenta-
 „batur Hierax eorum Patriarcha.) Aut quid novi,
 „ut prædicaret, venit Unigenitus & ut perpetra-
 „ret? si enim de Timore Dei, hoc habebat Lex. Si
 „verò de Nuptiis, prædicaverunt has Scripturæ. Si
 „autem de Invidia & Avaritia ac Injustitia, hæc o-
 „mnia continet Vetus Testamentum. At, ut unum
 hoc

Tom. 2.
 L. 2. Hæ-
 res. 67.

hoc solùm perpetraret, venit nempe, ut prædicaret Continentiam in mundo, & sibi ipsi eligeret castitatem & continentiam, sine hoc verò non posse vivere. Hoc dogma, hoc Hæresis hujus fuit fundamentum: at dogma sine veritate & absque soliditate fundamentum. Veritas enim est per Evangelium nil Nuptiis derogatum, quin imò, cùm eas duritia cordis Judæorum & Moysis indulgentia quodammodo labefactasset, primogenio suo vigori per illos restitutas, nec abolitum generis humani Seminarium sed honore Sacramenti supervestitum ac decoratum. Veritas est, quæ & evertit fundamentum contrarium, Continentiam seu Virginitatem Salvatoris nostri non esse Legem quæ Fideles omnes à Nuptiis prohibeat, sed solummodo consilium, quod, *qui potest capere, capiat*. Felices autem illæ Virgines quæ in benedictionibus dulcedinis prævenit divina Bonitas, quò capere possint! Felices sanè quæ celestibus illecebris inescatæ capiunt! Felices inquam, non tam quod eas Continentia omnibus illis difficultatibus subtrahat, quæ conjugalibus deliciis concatenatæ sunt, quàm quòd in altiori honoris gradu constituat, & (quæ homini est & esse debet unica vivendi ratio) ad servitium divinum uberiores occasionem præstat: *cogitat enim Virgo ex Apostolo quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*. Adeoque iterum felices, quæ in primo statim ætatis vestibulo id cogitare incipiunt!

1. Cor. 7:
34.

Ea quorundam ignorantia est, ut censeant non in prima sua innocentia, sed post expertas cum tædio seculi vanitates Deo Virgines esse consecrandas, non illaqueandas Virginitatis professione immaturas puellas:

puellas: at hallucinantur neque sapiunt ea quæ Dei sunt: nulla quidem ætas fera nimis obsequio divino sed nec ulla post plenum rationis usum eidem immatura, imò aptior deoq; gratior prima quàm provec-ta: præceperat is in Lege Veteri offerri sibi, non, me-dios, non fructus ultimos, sed primoprimos seu fru-gum omnium primitias, nec immolabatur in jure sacri-ficium ovis annosa sed Agnus anniculus & immacula-tus, quò cultoribus Evangelii emblema esset gratif- *Num. 28.*
 sima sibi ea pudicitia Sacrificia, eas esse Virginitatis Victimæ, quæ, ac primùm maturuerint, non mun-do sed sibi deferuntur, quæque adhuc sunt à conta-gione sæculi immunes. *Placebit Deo super vitulum Ps. 68: 32*
novellum cornua producentem & ungulas. Faciliùs enim (quæ assertionis est ratio) sanctitatem hauriunt juniores, quàm collectas sæculi feces & impressas va-nitatum imagines exhauriant expungantque pro-vec-tiores: *Tibi facilius in bonis cursus est, quam ma-lorum animi consuetudo non retinet,* apud D. Aug. *Epist.*
 scribitur Demetriadi, *cui non tam expellenda sunt vi- 142. c. 17.*
tia quàm refellenda, quæ utique non suscipere faciliùs est, quàm semel suscepta deponere. Qua de causa illas ab-solutè *Virgines*, has verò eis *Proximas* in Epithalamio divini Sponsi & Ecclesiæ dictas contemplatur Mel-lifluus Burgundio: *Adducentur Regi Virgines post Ps. 44: 15*
eam, scil. Virginem & Sponsam Ecclesiam, Proximæ Serm. 14
ejus afferentur tibi. „ Et ut quæque sciat, inquit, *in Cant.*
 „cujus Spiritus sit: Virgines dico illas, quæ ante
 „Christo fœderatæ quàm fœdatæ mundi complexibus
 „ipsi firmiter perseverant, cui se tantò feliciùs quan-
 „tò maturiùs devoverunt. Proximas verò, quæ pri-
 „stinam suam deformitatem, in qua mundo huic
 quan-

quandoque conformes mundi Principibus, id est, Spiritibus spurcis in omni carnali concupiscentia, sese turpiter prostituerant, tandem aliquando erubescentes & exeuntes in novi hominis formam, quantò seriùs tantò sincerius reformare festinant.

Bonum est viro, addo ego & Virgini, ex Threnis Jeremiae, cum portaverit jugum ab adolescentia sua: debet solitarius, seu solitaria, & tacebit sine tumultu & strepitu secularium phantasmatum, quia utpote non obruta mundanarum vanitatum speciebus levavit super se, unde & Tertulliano Virgo felicior atque Vidua laboriosior.

c. 3. v. 27.
& 28.
I. 1. ad
Uxorem

Addo tamen haud quaquam sufficere quòd prima ætas Virginitati devoveatur & Deo, nisi & subsequens ratum habeat ac conficiat, quod illa divine Majestati addixit: quid namque proderit, quòd sub auroram itineri te accingas, si pleno jam die vel à via deflectas vel cum tœdio & sine ulteriori progressu in eadem hæreas? præstat incepisse nunquam, quam laudabile principium damnabili fine concludere: monet proinde præcitatus Bernardus: *& hæc & illæ, Virgines scilicet & Proximæ, sanè proficiant, non deficiant neque fatigentur*: Sibi que, quod de Afer Moyses, quælibet dictum accipiat: *Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua*. Quod ut efficacius sit, singula sancti Abbatis verba non nostro sed alieno lumine paululum illustrabimus, & ut inverso ordine procedamus.

Supra.

Deut. 33.
25.

PRIMÒ *non fatigentur*: excitandus est spiritualibus stimulis semper animus (docetur Demetrius) & majore quotidie ardore renovandus, orationis instantia, illuminatio lectionis, sollicitudo vigiliarum

Supra
c. 27.

rum & diurna & nocturna ejus incitamenta sunt : nihil enim in hoc Proposito otio deterius est , quod non solummodo non acquirit nova , sed etiam parata consumit. , Sanctæ vitæ ratio processu gaudet , & crescit, celsatione torpescit & deficit. Quotidianis & recentibus incrementis mens instauranda est, & vivendi nobis hoc iter non de transacto sed de reliquo metiendum est. Quamdiu sumus in hoc corpore numquam nos ad perfectum venisse credamus, sic enim melius pervenitur : tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus, at ubi ceperimus stare, descendimus nostrumque non progredi jam reverti est. Cesset omnis ignavia & inutilis de præterito labore securitas; si volumus non redire, currendum est. B. Apostolus de die in diem vivens Deo, nec quod ante fecisset sed quod facere deberet, semper attendens dicebat: *Fratres ego non arbitror me comprehendisse a-* Phil. 3:13
liquid: unum autem, quæ quidem sunt retro obli- & 14.
vis, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens ad desti-
natum persequor bravium supernæ vocationis Dei.
 Si B. Paulus ille Vas electionis, qui ita Christum
 indutus erat ut diceret: *vivo autem jam non ego,* Gal. 2:20
vivit verò in me Christus, adhuc tamen se extendit crescit & proficit, quid nos facere debemus, quibus optandum est ut in fine nostro Pauli principio comparemur? Ergo tu hunc imitare, qui 1. Cor. 4:
dixit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, 16.
 obliviscere omne præteritum & quotidie inchoare te puta: ne pro præsentis die, quo debes servire Deo, præteritum imputes: optimè quæsitâ custodies, si semper inquiras: *damnum parata sentient, si parare cessaveris.* SE-

SECUNDÒ *non deficiant*: ideoque non proci aliquando: non maritum, non delicias carnis, sed Dominum cogitent: hic solus in corde, hic solus hæreat in sensibus: non est alligatus proco uni Virginis nupturientis affectus, sed sperare sed desiderare eum licet è multis, qui maximè arriserit: at electione facta consummatisque nuptiis animus antea licitè vagus & liber jam ad unum restringitur, interdicta cum procis aliis omnis consuetudo, domui suæ vacet, suo viro complacere studeat necesse est, quod

1 Cor. 7:
34

antea licebat jam non licet, *quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*. Quem aliis prætulit ei soli affuescat, adhæreat, complacat, adulteri si vel affectu alium sequatur. Eadem est causa Virginis, ei olim integrum vel cœlestem vel terrenum suspirare procos, liberrimum hîc arbitrium; at ubi Sponsum divinum carnalibus prætulerit, omne ei cum hisce interdictum commercium, debet omnis esse & manere expunctus affectus, nonquam cogitandum divortium aut repudium, sit *charitas stabili*

Serm. 18.
in Cant.
Cant. 1:2.
Serm. 19.
in Cant.

lis non *arundinea* ex S. Bernardo. *Oleum effusum non mentuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te, dilexerunt te nimis*, legit idem Abbas, id est, *valde, vehementer, ardentè* eodem interprete: vehemens sit hic amor

L. 1. ad
Uxorem.
L. de Virg.
c. 18.

qui omnes contrarias sollicitationes & imagines dispellat atque ardens qui omnem libidinis humorem consumat: nimius sit, quàm ut eum caro titillans aut dæmonis aut hominis cujusquam blanditiæ vel lenocinia imminuant, superent, exstinguant: *Obsignavit enim* (qua phrasi usus est Tertullianus) *carinem suam*, unde & Virgines Augustino dictæ *Señatrices perpetuæ continentiæ & sacræ Virginitatis*. Caveant itaque *ne deficiant*. Sed &

T E R

TERTIÒ *proficiant.* „ An sola ista vita est quæ
 „ certamen non habeat de profectu (apud demetria-
 „ dem instat Autor Epistolæ ad eam) & in qua u- *Supra. c.*
 „ nusquisque hoc tantum debeat permanere quod ^{12.}
 „ cœpit, nec ullo augmenti desiderio ad majora con-
 „ tendat, & cùm in omnibus mundi studiis profectu
 „ non fatientur homines, hîc tantum cœpisse suffi-
 „ ciet? ferventissimi in terrenis frigidissimi in cœ-
 „ lestibus sumus, ac summam in rebus parvis exhi-
 „ bentes alacritatem ad majora torpescimus. Con-
 „ siderare pudet quantus sit fervor in seculo, quâ cu-
 „ râ singula quæque studia hominum quotidie ad
 „ perfectiora nitantur! Literarum ardor nulla pror-
 „ sus ætate exstinguitur, imò, ut secularis Autoris
 „ utar sententiâ, ipsa magis ætate inflammatur: di-
 „ vitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit hono-
 „ rum cupido, celerem habituræ res finem sine fine
 „ quæruntur: nos divinam sapientiam, cœlestes di-
 „ vitias, immortales honores pigra quadam dissimu-
 „ latione negligimus, & spirituales delicias aut ne at-
 „ tingimus quidem, aut si leviter degustaverimus,
 „ continuò nos putamus esse satiatos. Aliter nos di-
 „ vina Sapientia ad suas invitat epulas: *Qui edunt me,*
 „ *inquit, adhuc esurient, & qui me bibunt adhuc si-* *Ecc. 24.*
 „ *tient:* nullus unquam talibus expletur epulis, nec ^{29.}
 „ aliquando patitur de satietate fastidium; tantò
 „ unusquisque capacior, tantò avidior erit, quantò
 „ inde plus hauserit. Dominus in Evangelio, *beati*
 „ *ait, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi sa-* *Matt. 5:6.*
 „ *turabuntur:* vult enim esurire nos hîc semper ac-
 „ sitire justitiam, ut in futura justitiæ retributione sa-
 „ tiemur: consideranda vis ipsa verborum est, &

ita nobis desideranda est justitia, ut in fame vel
fati cibus desideratur ac potus: & hoc in commune
omnibus est dicendum his, qui immortalis vitæ,
præmia desiderant: jam tuum est æstimare quan-
tum animæ præstare debeas, quæ majoris præmi-
desiderio plus facere proposuisti quàm vel aliàs ne-
cesse est: hactenus ille ad novellam Virginem: quod

Tom. 1.

Orat. 31.

autem in epilogo ab ea exigit id Ecclesiæ Theolo-
gus brevi hac sententia determinavit: „ Quæ sub
epilogo est aliqua ex parte fit Christi, quæ Virginitatem
amplexa est tota Christi fit: illa mundo non pro-
fus alligetur, hæc nullo modo animum mundo ad-
dicat: quod enim conjugatæ est pars, id Virgini-
totum fit. Tota enim *cogitat*, id est, cogitare debet
quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu:

L. de Virg.

c. 56.

c. 13.

quâ sanctitate seu sanctimoniâ juxta S. Aug. no-
menclaturam Virgines *Sanctimoniales* nuncupantur.
Si vis itaque (scribit Autor præcitatæ Epistolæ,
quæ & huic materiæ coronidem imponent) Pro-
positi tui magnitudinem æquare moribus, & per
omnia Deo copulari, si leve ac suave jugum Chri-
sti suavius tibi leviusque vis facere, nunc maxime
in beata vita curam impende, nunc stude ut calen-
tem recentis fidem conversionis novus semper ar-
dor accendat, & in tenera adhuc ætate facilius san-
ctæ conversationis usus inoleseat: quicquid in te
primùm institueris hoc manebit, & ad initiorum
tuorum regulam reliqua vita decurret: finis in ip-
so exordio cogitandus est; qualis ad illum ultimum
diem pervenire cupis, talis nunc jam esse conare.
Consuetudo est quæ aut vitia aut virtutes alit, quæ
que in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte
ætate

„ ætate simul creverit: optimi sunt ad institutionem
 „ morum primi quique anni, habent enim in se len-
 „ tum quiddam & molle quod facilè formari queat
 „ atque ad arbitrium volentis trahi, & in cunctis fe-
 „ rè rebus citius assueffitur omne quod tenerum est:
 „ novellas adhuc & vix firmæ radicis arbusculas,
 „ dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamli-
 „ bet partem flecti facilè est, quæ naturâ plerumque
 „ curvatæ citò ad arbitrium colentis corriguntur. Te-
 „ nera adhuc & primæ ætatis animalia sine labore do-
 „ mari solent, quantò citiùs à vagandi libertate dif-
 „ sueta sunt tantò faciliùs vel colla jugo vel frænis
 „ ora insuefcunt. Ipsa quoque literarum studia tene-
 „ ris meliùs inseruntur ingeniis, idque penitus inhæ-
 „ rere sensibus solent, quod priùs federit in mente;
 „ hoc idem plurimum etiam in bene vivendi ratione
 „ valet, dum adhuc mobilis est ætas & animus duci
 „ facilis exercenda boni consuetudo, & jugi medita-
 „ tione firmanda est: occupandum est optimis rebus
 „ ingenium & sanctæ conversationis usus altiùs in-
 „ serendus est. Tunc verò ad perfectionis fastigium
 „ animus ascendit & longæ consuetudinis benefi-
 „ cio utitur ad benè vivendi facultatem, & virtutes
 „ suas etiam ipse miratus secum quodammodo in se
 „ putabit natum esse quod discit.

§. I V.

De Recollectione Annua.

QUOD celeberrimum & sanctum vocat, annum
 Expiationum festum à Domino in Lege institu-
 tum,